

RXVI b

in - 4°

13

SORBONNE



R XVI b 13 in-40

T A B V L A E

breues & expeditæ, in præ-
CEPTIONES RHETO-
RICAE GEORGII CASSANDRI.

*Multò quàm antea emendatiores, atque ab
ipso authore recognitæ.*



P A R I S I I S,

*Apud Thomam Richardum, sub Bibliis aureis,
è regione collegij Remensis.*

I 5 5 3.

TABLE
descriptio & expeditio in pte
CEPTIO N. A. R. H. T. O.
RICAR. GEORGI. GASSANDRI.



P. A. R. I. S. I. I. S.
Spoud. Thomam Richardum, sub Bibliis
e regione collegii Remensis.
1 2 3

2

Eruditissimis & grauissimis vi-
RIS D. CORNELIO BARS-
dorio Medicinae doctore, & D. Ioanni Clays-
sonio urbis Brugen. Thesaurario, Geor-
gius Cassander S. D.




Quod in Romanorū historia legitur, irrum-
pentibus in Capitolium Barbaris, canes,
quorum erat insolentem illum motum in-
dicare latratu, conticuisse: anseres verò, à
quibus eiusmodi nihil expectabatur stre-
pitu quo poterāt & clāgore Romanā iuuentutē ad sese tuē-
dum & hostem repellendum excitasse: idem propemodum
hac nostra tempestate usu venisse comperimus, quum ij qui
eruditionis & sanctimoniae personam gerūt, & ad omnem
cūm literarum, tum morum propulsandam barbariem con-
stituti videntur, tantum abest, vt quod sui muneris est prae-
stent, vt etiam humanitatem omnem & pietatem, quas tue-
ri debeant, acerbissimè insectentur: probi verò ciues, quos
laicos, prophanos & seculares appellant, adolescentium stu-
dia & mores, quibus à Barbaris vndique tenduntur in-
sidiae, fortissimè tuenda suscipiunt: neque ad studia tan-
tū capessenda magis clamoribus prouocant, sed operam
etiam omnem & industriam ad ea iuuanda & promo-
uenda, quod in ipsis est, conferunt. Quorum in albo vos
estis viri ornatissimi, qui communem hanc viuendi ratio-
nem amplexi, honestoque coniugio copulati, atque in me-

dia Reipublicæ turba constituti, generalis tamen illius atque regalis sacerdotij, cuius meminit Petrus, constantissimè munus obitis. Nam cum priuatim tum publicè nullam amplificandæ Dei gloriæ occasionem prætermittitis, atque ardentissimum istuc vestrum erga veram pietatem studium, ut tempus quodque tulerit, declaratis. Quum enim ad pietatem conseruandam nihil perinde conducatur, atque adolescentiam rectè institui, & literarum studia in singulis vrbibus promoueri, quanta vobis huius rei cura fuerit, præclara, atque omnibus notissima argumenta demonstrant. Nec obstitit quicquam isti heroico vestro conatui, quod in multorum illum reprehensiones, & obtrectiones incursum videretis, idque quod est indignissimum eorum, qui pietatis, sinceraeque eruditionis studium & fauorem apud omnes cultu atque incessu, totoque vitæ genere pollicentur: sed vicit hunc inuidentiæ, obtrectionisque metum firmiter inherens animis publicæ vtilitatis, atque diuinæ gloriæ promouendæ amor atque cupiditas. Ego itaque quum me ad hoc quod iam sustineo munus, quam immeritum, aut indignum, nihil ad hunc locum attinet, optaueritis, omnibus modis adniti debeo, ut vestræ expectationi respondeam. Quod equidem facere hætenus conati sumus, quanuis ingenij nostri tenuitas multum nobis negotij & laboris exhibuerit: quantum tamen hinc exprimere potuimus, libenter id omne in publicam vtilitatem extillauimus. Quum igitur nunc ad rhetoricæ elementa tradenda, quem in prælegendo instituimus, nos ordo vocaret, tabellam hanc, exiguam quidem illam, sed planam, ni fallor, & facilem

confecimus. In qua conficienda potissimum hoc nobis studio
 fuit, ut series praeceptorum & artis methodus, quasi nuda,
 omni que ornatu detracto, omnibus patefiat, omnesque prae-
 ceptiones quasi ansula catenatim se consequentes atque an-
 nexae deducerentur. Hoc quale est, vobis ornatissimi viri di-
 candum statui. Quod quamvis vestra sit dignitate, istisque
 meritis & virtutibus indignum, tamen humanitati & mo-
 destiae vestrae non ingratum fore putavi. Valete. Brugis
 Anno post natum Christum M. D. XLII.

Tabulæ breues & expeditæ, in P R A E C E P T I O N E S R H E- toricæ Georgij Cassandri.



*Vid vocas Rhetoricen in titu-
lo huius libelli? Præcepta quæ
vulgò pueris traduntur de ra-
tione dicendi.*

*Quid est igitur Rhetorice?
Ars quæ docet viâ ac ratio-
nem rectè & ornatè dicendi.*

*Habétne hæc vox alium
intellectum? Maximè. Signifi-*

*cat enim vim illam & facultatem, quæ Latinè Eloquentia
dicitur.*

In Partitio.
Orator.

*Quid est eloquentia? Facultas sapienter & ornatè di-
cendi, quæ meritò à Cicerone virtutibus annumeratur, si-
quidem nihil est aliud eloquentia, nisi copiosè loquens sa-
pientia.*

*Quibus rebus paratur eloquentia? Primùm ingenio &
vi naturæ opus est, deinde doctrina & cognitione variarum
rerum, præterea exercitio & diligentia: accedit etiam imi-
tatio excellētium scriptorū, seu potius antecedit. Cicero enim
& Fabius authores sunt, exercitationem styli, & scribēdi
diligentiam, post imitationem sequi debere.*

Anton. apud
Ciceron. lib. 2.
de Oratore.
Fabius lib. 10.
cap. 1.
Libro primo de
Oratore.

*Sufficiuntne præcepta & ars ad comparandam elo-
quentiam? Minimè. Nam vt rectè Crassus apud Cice-*

ronem, non eloquentia ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum est.

Quis ergo usus praeceptorum & artis? Primum, ut imperiti scripta & controuersias excellentium virorum intelligere & iudicare possint: ac postea si usus venerit, imitari. Deinde ut certam quandam viam ac rationem habeamus, quam in scribendo & dicendo sequamur. Quauis enim authore Cicerone nonnulli natura sine ratione, dicendi copiam consecuti sint, ars tamen est dux certior, quam natura. Est & hac utilitas artis, quod quae natura in nobis bona sunt, per eam meliora fieri possunt: & quae non optima, aliquo modo tamen acui & corrigi possunt.

Lib. 4. de Finib.
Crassus lib. 1.
de Oratore.

Qua est materia subiecta Rhetoricæ? Quaestio.

Materia
rhetor.
quaestio.

Quid est quaestio? Quicquid ad disputandum & dicendum proponitur.

Quot sunt genera quaestionum? Duo: quorum alterum infinitum est, alterum finitum.

Qua est infinita quaestio? Qua rem generaliter proponit, remotis personis, temporibus, cæterisque similibus, quae Graecè *ἡσὶς*, à Cicerone tum Consultatio, tum Propositum dicitur, ut, Expetendane sit eloquentia?

Qua est finita quaestio? Qua rem proponit, certis personis, temporibus, cæterisque similibus circumscriptam & definitam, quae Graecè *ὑποῖσθις*, Latine Controuersia & Causa vocatur, ut, Iurène Milo interfecerit Clodium?

Vtra harum quaestionum potius ad oratorem seu rhetorem pertinet? Nimirum posterior, quae in publico, in curia, atque in foro, ciuiumque disceptationibus versatur.

GEORG. CASSANDRI

In Partition.
2. de Orator.

Quatenus prior ad Oratorem pertinet? Quia, ut est author Cicero, in definito inest infinitum, & omnes causæ ad vim vniuersi generis referuntur: quare dicenti & thesôn, seu infinitarum quæstionum natura cognita esse debet, quanuis earum tractatio dialecticorum & philosophorum propria sit: quare hoc quæstionis genus in præsentia omitamus.

Genera causarum.

Causarum igitur (sic enim hypotheses, seu finitas quæstiones appellamus) quot sunt genera? Tria.

Demonstratiuum, quod continet laudem & vituperationem, sed à meliore parte Laudatiuum etiam dicitur, ut Græcè ἐπιδεικνύον καὶ ἐννομασινόν: Cicero in Partitionibus, Exornationem vocat.

Deliberatiuum, quod versatur in capiendis consiliis, quod continet suasionem, dissuasionem, hortationem, dehortationem, petitionem, consolationem.

Iudiciale, quod versatur in foro, & explicandis causis forensibus, quod continet accusationem & defensionem.

Vnde colligitur hæc diuisio? Ex auditorum diuersitate.

In Partitionib.

Auditor enim omnis aut auscultator modò est, qui delectationem tantùm quærit: aut negotij index & disceptator, qui de re proposita statuit aliquid. In demonstratiuo genere delectatio quæritur. Deliberatio in prouisione futuri temporis. Iudicium in disceptatione præteriti versatur.

Fabius lib.3.
cap.4.

Aliter paulò hæc tria præcipua genera colliguntur à Fabio: Omne enim, inquit, oratoris officium, aut est in iudicio, aut extra iudicia. Genus id causæ quod in iudicio versatur, simplex & manifestum est. Quod est extra

iudicium, aut prateritum tempus respicit, aut futurum. Præterita laudamus, aut vituperamus, de futuris delibramus.

Etiãne his Didascalicum genus addendum est? Magnus sanè est illius vsus etiam Oratori, sed propriè causæ genus dici non potest, cùm non ad causam, id est, hypothesein, sed potius ad infinitam quæstionem, seu thesin referatur: nisi causam voces quamvis quæstionem, de qua certa ratione & arte disputari vel dici consuevit.

Anton. lib. 2. de Orator.

Quod erit igitur Didascalicum seu didacticum genus? Quod continet theses seu locos communes, quæ tractantur secundum præcepta & locos dialecticos.

Quis est finis Rhetorices? Cùm tria proposita sint Oratori, ut doceat seu prober, ut delectet seu conciliet auditorum animos, ut impellat & moueat, tertius hic proprius illius esse finis videtur. Siquidem delectare cum sophistis illi commune est, docere à dialecticis & philosophis penè mutuatur.

Finis Rhetorices.
Anton. lib. 2. de Oratore.
In Oratore ad Brutum.

Quod est officium Oratoris? Dicere, hoc est, accommodata uti oratione ad persuadendum, & concitandos animos auditorum.

Officium Oratoris.

Quod est instrumentum præcipuum? Oratio.

Instrumentum Oratoris.

Quotuplex est oratio? Duplex. Altera concisa, hoc est, mutuis interrogationibus, & responsionibus interrupta, qualis extat in disputationibus Philosophorum, quæ & dialectice dicitur. Altera perpetua, qualem videre est in orationibus & declamationibus oratorum, quæ Rhetorice vocatur: quannvis perpetua oratione Philosophi non-

Fabius lib. 2. cap. 21.
Cicero lib. 2. de Finibus.

nunquam utantur.

Quomodo aliter orationem diuidis? In æquabilem, quietam & temperatam, ac quotidiano sermoni per similem, qua Philosophi & Dialectici utuntur, qui sermo dicitur, & sublimem, violentam, concitatam, ornatam, copiosam, qua Rhetorum propria est, vocaturque à Cicerone tum Con-
tētio, tum oratio. Quauis enim, inquit, omnis locutio oratio est, tamen vnius Oratoris locutio, hoc propriè signata est nomine. Habent & sophistæ & historici, & poëtæ peculiare sibi quisque orationis genus à Rhetoricæ orationis vi & sublimitate seiunctum.

Lib. 1. Offic.
In Oratore.

Partes Oratio-
nis.

Quot sunt partes orationis? Sex, Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

Vnde colliguntur hæ partes? Ex tribus orationis finibus. Oratio enim omnis aut ad docendum seu probandum, aut ad conciliandum, aut ad permouendum instituta est. Ex partibus igitur orationis Confirmatio ad rem docendam valet, quam comitantur, Narratio, ut quæ sit sedes ac fundamentum constituendæ fidei: & Propositio, quæ aliud nihil est, quàm confirmationis initium: & Confutatio, cuius eadem quæ confirmationis ratio est. Exordium verò ad conciliandos animos: Peroratio ad impellendos præcipuè pertinet.

In Partitionib.
Fabius lib. 4.
cap. 4.

Partes Rhetorice.
3. de Oratore.

Quot sunt partes Rhetoricæ? Tres, Inuentio, Dispositio, Elocutio: quibus à veteribus adduntur duo, Memoria & Actio seu pronunciatio, quæ parum ab arte iuuantur.

Quomodo has partes colligis? Quia duo sunt è quibus constat omnis oratio, res & verba. Res quasi sedes & fun-

damentum est verborum, verba autem rebus lumen & ornamentum praebent. Inuenire propriè in rebus dicitur, ut *author* est Cicero, in verbis Eloqui.

In Partitionib.

Disponere autem seu collocare, quãuis vtrique commune est, ad inuentionem tamen magis refertur.

Quomodo diuidis hæc præcepta Rhetorices? ex ordine partium, ut primùm de inuentione, mox de dispositione, ultimo loco de elocutione dicamus.

Diuisio huius opusculi.

DE INVENTIONE.

*Q*uid est Inuentio? Est earum rerum quæ ad causam obtinendam pertineant, certis è locis deprehensio.

Quid est locus? locum Dialectici vocant sedem argumentorũ, Argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem. Argumentis autem in confirmatione & confutatione præcipuè utimur, quæ partes ad probandum seu fidem faciendam destinata sunt: Rhetorica autem inuentio etiam conciliationem & motum animorum spectare debet: ad conciliandum & mouendum præcipuè affectus adhibentur, ad docendum argumenta.

Locus in Topicis.
Argumentum.

Quid igitur hic locum appellas? Omne id vnde tãquam ex nota & indicio occasio, & materia dicendi sumitur.

Qui sunt igitur loci inuentionis? Ii variantur ad diuersas partes orationis.

Quot sunt partes orationis? Sex, quæ suprà enumerata sunt.

GEORG. CASSANDRI

De exordio.

Quid est exordium? Initium orationis in quo auditorum animos & præparamus, & conciliamus.

De inuentio.

lib. i.

Ad Herennium

lib. i.

Quot sunt exordiorum genera? Duo. Alterum, in quo statim & aperte auditorum animos conciliamus, quod principium, & πρῶτον à nonnullis dicitur. Alterum, in quo occultè & dissimulanter auditorum animos subimus, quæ Latinis Insinuatio, Græcè ἐφοδὸς vocatur.

Quot sunt loci exordiorum? Tres, personæ, causa, & adiuncta personis & causis.

Quid spectandum in exordiis? Vt beneuolos, vt attētos, vt dociles auditores efficiamus.

Semperne his omnibus opus est? Non, sed cause genus inspiciendum est.

Quid hic vocas genus cause? Certam quandam cause qualitatem & conditionem, quæ in singulis superiorum generum causis inuenitur.

Fabius libro 4.

cap. i.

Cicero 1. de In

uentione.

Quot sunt eiusmodi causarum genera? Quatuor. Honestum, turpe, dubium, humile. In Honesto conciliatione vix opus est. In Turpi, insinuatione utemur. In Dubio, seu ancipiti, beneuolentiam captabimus. In Humili, faciemus attentos.

Additur à quibusdam obscurum, in quo dociles facere debemus, & admirabile, seu παραδόξον, cuius eadem cū turpi ratio est.

Quomodo paratur beneuolentia? A personis, & ab ipsis negotiis.

Fabius lib. 4.

cap. i.

Quot sunt personæ? Quatuor, Actoris, litigatoris siue rei, aduersarij, & iudicis, seu auditorum.

Quibus ex locis ab actoris, seu nostra persona beneuolentiam capimus? Primum si officium nostrum citra arrogantiam commemoremus, vel cognationis vel amicitiae, & maxime Reipub. vel si alia quapiam honesta causa, ut liberalitatis, iustitiae, fidei, nos ad dicendum inductos esse dicamus. Deinde si omnem suspicionem aut sordium, aut odiorum, inuidiae, crudelitatis, ambitionis diluamus. Tertiò, si ingenium nostrum, & vires eleuemus, nosque magis causae aequitate, & auditorum beneuolentia, quam eloquentia nostra fretos esse confiteamur.

Ducuntur autem exordia ab actore seu patrono aduersae partis, sed iisdem penè ex locis, ut si nullo officio, aut honesta causa ad agendum inductum esse dicamus: si turpes suspensiones in eum congeramus: si eloquentiam eius & vim in dicendo metuere nos significemus, & iudici suspectam faciamus.

Quomodo à persona litigatoris, aut rei beneuolentia capitur? Duobus praecipue locis: vno, quo dignitatem eius proponimus, ut cum virum bonum & liberalem esse dicimus: altero, quo calamitatem & infirmitatem eius explicamus, à sexu, ab aetate, à conditione, si femina sit, si senex, si pupillus, si pauper, peregrinus, mutus, cecus.

Quomodo à persona aduersarii? Iisdem propè ex locis, sed in ipsum aduersarium conuersis. Solent autem haec tria hic spectari, ut in odium, in contemptionem, & inuidiam illum adducamus. In odium, si superbiam, crudelitatem, & malitiam eius accusemus. In contemptionem, si inertiam, negligentiam, ignauiam, & luxuriam eius proferamus. In inui-

GEORG. CASSANDRI

diam, si nimiam potentiam, diuitias, factiones, & opes eius commemoremus.

Quomodo è persona iudicis, seu auditorum? Si illorum virtutes, sapientiam, iustitiam, fortitudinem, equitatem commemoramus, eaque ad vtilitatem causæ nostræ cōiungamus. Deinde si quàm honesta de iis existimatio, quantaque iudicij expectatio sit, ostendamus.

Quomodo ab ipsis rebus beneuolentia capitur? Cùm causam nostram extollimus, & aduersarij eleuamus.

In Partitionib.

Quid attentio & docilitas, vnde sumitur? Ab ipsa ferè causa.

Quibus rebus attentionem parabimus? Tribus præcipuè, si aut magna esse commonstremus de quibus dicturi sumus, aut necessaria, aut coniuncta cum ipsis apud quos agitur. Excitabit etiam auditorem, si nos neque diu moraturos, neque quicquam extra causam dicturos polliceamur.

Quomodo docilem auditorem faciemus? si breuiter & aperte summam rei de qua dicturi sumus exponamus.

Ducuntur ne semper præmia à personis & causis? Non, sed nõ raro ab adiunctis personæ & causæ. Cuiusmodi sunt, pignora, propinquitates, amicitia, tempus, locus, habitus, opinio, fama iudiciorum, expectatio vulgi.

Insinuatio.

Quando insinuatione opus est? In turpi & admirabili genere causæ, & maxime si auditoris, vel iudicis animus persuasus ab aduersariis, aut iam diu audiendo defatigatus est.

Quid hic erit obseruandum? Id propter varietatem causarum difficulter præcipi potest: hoc tamen monente Fabio

in vniuersum præcipi potest, vt ab his quæ ledunt, ad ea quæ profint refugiamus. Si persona aut causa offendat, aliã substituamus: si nihil erit quod nobis profit, quarendũ erit quod aduersarium ledat: si manifestum est quod offendit, aut eleuandum erit, aut transferendum, aut reiiciendũ. Si persuasus & occupatus est animus, pollicebimur nos nostras probationes allaturos, & aduersarium confutaturos: sin defessus est, aut vrbaniatate aliqua animos renouabimus, aut spe breuitatis excitabimus.

Quid est quod in genere ad conciliandos animos præcipue pertinet? *Affectus*. Quid est *affectus*? Inclinatiõ quædam & animi commotio.

Quomodo diuiduntur *Affectus*? In lenes siue mites, quæ Græcè *ἡδοναί*, hoc est, mores dicuntur, quales exhibentur in Comædiis, vt amor parentum, charitas fratrum & propinquorum, fides coniugum & amicorum, verecundia, modestia, lætitiæ moderata, timiditas: & in vehementes, seu concitatos, quæ Græcè *πῶδες*, à Cicerone perturbationes vocantur, quales Tragediæ nobis offerunt, vt agritudo, inuidia, timor, paupor, libido.

Quibus affectibus hîc vtimur? Maximè mitibus illis & compositis: nonnunquam enim vehementioribus, quos tamen admonente Antonio, in exordio totos explicari non oportebit, sed tantũ impelli primò iudicem leuiter, vt iam inclinatore reliqua incumbat oratio.

Libro tertio de Oratore.

Quid est *Narratio*? Est causæ ipsius, aut rerum ad causam pertinentium expositio.

Narratio.

Quæ obseruanda sunt in *Narratione*? Vt brevis sit, vt di-

GEORG. CASSANDRI

lucida seu perspicua, & vt probabilis seu verisimilis.

Quomodo brevis erit Narratio? Si non à primo initio rem repetamus, sed vnde necesse est: si non in partes rem deducamus, sed summam complectamur: si neque longius quàm opus sit, procedamus, & si nihil extra causam dixerimus.

Aperta seu dilucida narratio quæ est? Quæ fit verbis propriis & vsitatis: in qua ordo temporum conservatur: in qua nihil interruptè, perturbatè, vel ambiguè dicitur.

Quæ est narratio verisimilis? In qua personis, temporibus, locis, ea quæ narrantur, consentiunt, vbi facti cuiusque causæ exponuntur, & in qua naturæ, legi, moribus, ac opinionibus hominum accommodata dicuntur.

Quid est propositio? Oratio, quæ breviter statum & summam totius negotij continet.

Quotuplex est Propositio? Duplex: nuda, & subiecta ratione. Nuda, qualis est ferè in coniecturalibus, vt furtum obuioc. Ratione subiecta, Iure cæsus est Clodius, quum prior insidiatus sit.

Quomodo aliter diuidis? In simplicem & multiplicem. Simplex, est vna propositio. Multiplex est, quando plures propositiones proponuntur, quod ferè per partitionem fit. Nã non est aliud Partitio, quàm plurium propositionum, de quibus in causa dicturi sumus, enumeratio.

Partitio.

Confirmatio.

Quid est Confirmatio? Præcipua pars orationis, quæ causæ probationem continet.

Confutatio.

Quid est confutatio? Dissolutio argumentorum, quæ ab aduersariis obuiocuntur, aut verisimiliter obuioci possunt.

Quomodo Causa probatur? Argumentis.

Vnde ducuntur argumenta? Ex locis. Quid autem sit locus & argumentum, supra dictum est.

Estne hoc Dialecticorum, locos argumentorum tradere? Est, sed hac in parte multa Rhetores à Dialecticis mutuatur: tota enim hæc pars ad docendum pertinet, qui proprius est finis Dialecticæ: quamvis Rhetores non pauca hoc loco inferant, quæ ad delectationem & motum faciunt: quo fit, ut confirmatio Rhetorum à nudis Dialecticorum argumentationibus non parum differat.

Qui sunt igitur loci argumentorum? Duplīciter de his tradi potest, vno modo in genere, ut ad nullum causæ genus respicias, quod à Dialecticis abundè & copiose fit, quamvis Cicero nec hanc locorum tractationem omiserit, quod & Fabius secutus est, sed nos lectorem ad Dialecticos remittimus. Aliter loci ad vnumquodque causæ genus accommodari possunt, quod à Rhetoribus fieri consuevit, & hac ratione loci Rhetorici à Dialecticis differunt, cum reuera iidem sint.

Loci argumentorum.

In Partitio.

2. de Oratore.

Ad Herennium.

De inuenti.

Fabius lib. 5.

Vide Boetium

sub finem lib.

4. de differentiis Topicis.

Loci generis

Demonstratiui.

Quot sunt causarum genera? Tria, quæ supra enumerata sunt, Demonstratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale.

Quis est finis generis demonstratiui? Honestas & Turpitudine.

Quæ materia? Varia laudantur enim & vituperantur, persona, regiones, vrbes, loca, tempora, animantia, plantæ, facta, consilia: sed frequentissima, eademque vtilissima est laus personarum.

Qui sunt loci confirmationis in laudandis personis? Con-

GEORG. CASSANDRI

firmatio in hoc genere est quasi perpetua *quedam* narratio, constans amplificatione virtutum & vitiorum, bonorum & malorum: *quare* loci in hoc genere ad ornandum & amplificandum potius, quàm ad probandum adhibentur.

Fabius lib. 3.
cap. 9.

Quem ordinem hìc sequemur? Optimè parebimus consilio Fabij, qui monet vt diuidamus narrationem in tria tempora, ante vitam, in vita, post mortem. Ante vitam considerantur hi loci: Natio, patria, parentes, maiores, nonnunquam responsa & auguria. In vita, si libet, laudem partiemur in bona animi, corporis, & fortunæ. Corporis & fortunæ bona non habent in se veram laudem, sed quatenus his rectè aliquis, aut secus vsus est, laudatur aut vituperatur. Ex animi bonis solida laus est, & rectè factis: in quibus explicandis sequemur aut ætatis & rerum gestarum ordinem, aut distributionem virtutum. Post mortem sunt honores diuini, decreta, statuæ ingenuorum monumenta.

Quomodo regiones, vrbes, & loci laudantur? Simili ferè modo, à vetustate, à conditoribus, à munitione, à situ, ab opulentia, salubritate, legibus, institutis, ciuibus, & ingeniis incolarum. Facti iidem ferè loci sunt, qui generis deliberatiui. Item & rerum, nisi quòd hìc difficultas non rarò vel maximè ad laudem pertineat.

Loci generis
deliberatiui.
2. de Oratore.
Fabius libro 3.
cap. 10.

Quis est finis deliberatiui generis? Vtilitas, vel potius dignitas, vt sentit Antonius apud Ciceronem, quod Fabio magis placet.

Qui sunt loci cõfirmationis? Honestum, vtile, facile, quibus addas licet, & necessarium, sub quibus compre-

henduntur magnum, iucundum, tutum.

Honestas quæ maximè tractatur arte, sumuntur ex legibus, natura, & virtutū finitionibus, quæ pertinent ad causam efficientem.

Utilitas & facilitas magis sunt ἀπὸ τοῦ κατὰ φύσιν: utilitas si obuia fuerit, erit exaggeranda & amplificanda.

Facile & possibile in circumstantiis positum est.

Necessarium est non solū, quod aliter fieri nequit, sed auctore Cicerone quod permagni interest, pro necessario ducitur. Plurimum autem in hoc genere valent exempla.

Quis est finis generis Iuridicialis? Aequitas.

Qui sunt loci confirmationis in hoc genere? Varij, ex statuū diuersitate.

Quid est status? Est principalis quaestio seu propositio, quæ continet summam negotij, ad quam omnia argumenta referenda sunt, velut ad principalem conclusionem.

Vnde nascitur status? Ex intentione accusatoris, & depulsione defensoris.

Doce exemplo: Interfecisti Clodium, intentio est: Interfeci, sed iure, depulsio. Quaestio, Iurēne interfecit Clodiū Milo, quæ eadem & constitutio, seu status est, quatenus orator eam sibi probandam sumit.

Quid præter Statum obseruandum est? Vnus aliquis præcipuus syllogismus, quem ferè quælibet controuersia continet.

Quæ dant nomina Rhetores huius syllogismi partibus? Status est conclusio, est enim conclusio propositio principalis post argumentationem repetita.

GEORG. CASSANDRI

Reliquarum verò propositionum ea de qua dimicatio est & qua probata conclusio fit plana, vocatur ὑποπόθεσις Graecis, Latinis Indicatio, seu disceptatio.

Altera verò qua manifesta est & probatione vix eger, αἰτιολογία seu ratio dicitur, quòd ea primum accurrat ad conclusionem seu statum probandum.

Probatio verò Indicationis dicitur συνεκτιμήσις, Latine continens, seu firmamentum, quòd omne robur totius confirmationis ex ea dependeat.

Da exemplum in causa Miloniana.

Propositio principalis seu status causae est, Milo iure interfecit Clodium.

Ratio, Insidiatorem ius est occidere.

Indicatio, Clodius insidiatus est Miloni. Cuius probatio, seu continens sumitur à variis coniecturis.

Conficitur ergo hic syllogismus. Propositio. Ratio, Insidiatorem ius est occidere.

Assumptio. Indicatio, Clodius Miloni insidiatus est.

Conclusio. Status, Clodius iure caesus est.

Quot sunt formae statuum? Tres.

Quomodo eas discernis? per quaestiones.

Quot sunt quaestiones? Tres. An sit, unde nascitur status coniecturalis.

Quid sit, unde status legitimus.

Quale sit, unde status iuridicialis.

Quis est status Coniecturalis? Cum de facto controuersia est.

Quos locos habet hic status? Duos, voluntatem & fa-

cultate m.

Quot species habet voluntas? Duas, Impulsionem, cum ab odio tanquam efficiente causa: & ratiocinationem, cum a spe tanquam a causa finali argumenta ducimus.

Quibus ex rebus facultas spectatur? Ex signis quae sunt antecedentia, consequentia, vel adiuncta: & circumstantiis: huc pertinent testes, chirographa, confessiones, & cetera ατε xva.

Qui sunt proprii loci confutationis in hoc statu?

Confutatio est argumentorum dissolutio. Tribus autem modis solvuntur vitiosa argumenta: aut enim peccatum est in forma, & reprehenditur consequentia: aut in materia, in qua aut ambigua assumuntur, quae explicantur distinctione, aut falsa quae inficiatione diluuntur.

Sunt autem inficiationis loci iidem, qui confirmationis. sed cum hic acerrimus conflictus sit circa signa, duo peculiare sunt loci defensionis ad contrariam interpretationem signorum.

Inversio, cum signum obiectum non contra nos, sed pro nobis facere dicimus, ut, sepeliisti, ergo occidisti: imò si occidissetem, non sepeliissem.

Absolutio, cum aliter quam adversarius, signum interpretamur, ut, sepeli, non conscius mihi cedis, sed ductus misericordia.

Quis est status legitimus? Quando controuersia existit ex interpretatione alicuius legis, aut scripti, cuius est precipua quaestio quid sit.

Status legitimus.
Crassus apud Ciceronem.

Quae sunt huius status species? Definitio, contrariae leges, scriptum, & sententia. Ambiguum, Ratiocinatio,

GEORG. CASSANDRI

Translatio.

Quid est definitio? Cū de nomine facti quæritur, ut quid sit tumultus. huius status iidem sunt loci, qui didactici generis.

Quis est status contrariarum legum? Cū duæ leges aut sententiæ videntur sibi aduersari, aut casu aliquo colliduntur.

Exemplum prioris:

In viam gentium ne abieritis: & Ite, docete omnes gētes.

Posterioris: Diliges Dominum Deum tuum: & Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Colliduntur, si magistratus iniustum præcipiat.

In hoc statu obseruandæ sunt quatuor regulæ.

Lex inferior cedit superiori.

Lex generalis speciali.

Lex humana diuinæ.

Lex vetus nouæ.

Quis est status scripti & sententiæ? Cū ex scripto absurdi aliquid existit aut ambigui, quare aliud voluisse scriptorem ex æquitate colligimus, ut, Vende omnia, quæ habes.

Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt, &c.

Cōfirmatio volūtatīs, vel ex aliis locis clarioribus, vel ex æquitate & natura sumitur.

Quid est ambiguum? Cū dictio aliqua aut oratio scripti plura significat, ut, Non cognouit eam donec peperit. Iudicantur ambigua, aut ex phrasi & figuris, aut ex ipsis artibus vnde sumuntur.

Quis est status ratiocinatiuus? Quando res quæ nō ha-

bet propriam legē, indicatur ex aliqua lege propter similitudinem. ut, Qui interfecerit patrem, culeo insuatur: matrem qui interfecit, eadem pœna plectendus videtur.

Licet habere magistratus & iudices, licet ergo litigare, & causas agere.

Quid est translatio? Cùm reus litē derectat, quod aduersarius non ritè agat. Iurisconsulti exceptionem vocant: ut si quis debiti aliquem appellet ante tēpus, aut plus petat. Si accusetur patronus à liberto, aut vocetur quis ad iudicē non suum.

Quis est status Iuridicialis? Qui nascitur ex quæstione quale sit, & disputat utrum rectè, an secus aliquid factum sit.

Status iuridicialis.

Qui sunt loci confirmationis huius status? Natura, lex, consuetudo, æquitas seu æquum, bonum, indicatum, pactum.

Qui sunt loci inficiationis? Idem qui confirmationis.

Qui sunt loci proprii defensoris? Defensori duplex est status, absolutus & assumptiuus.

Absolutus, cùm iure factum esse dicimus.

Assumptiuus, cùm defensio per se infirma est, sed assumpta extranea re, iuuatur.

Qui sunt loci status assumptiui? Concessio, Translatio criminis, Comparatio, & Remotio.

Quid est concessio? Cùm reus postulat sibi ignosci.

Quæ sunt huius partes? Duæ, Purgatio & Deprecatio.

Purgatio est, cùm negamus dolo factū esse: cuius rursus partes, Fortuna, Imprudentia, Neceßitudo.

GEORG. CASSANDRI

Deprecatio est, cum simpliciter misericordiam petimus.

Quid est Translatio criminis? cum nos aliorum peccatis coactos dicimus.

Quid est Comparatio? cum ex duobus necessariis id fecisse nos dicimus, quod erat satius.

Quid est Remotio criminis? Remotio criminis hoc à translatione differt, quod illic crimen transferimus, & quasi retorquemus in illum, à quo, aut propter quem accusamur: Hic autoritate aut iussu alicuius personæ, aut legis inductos nos fuisse dicimus.

Peroratio.

Quid est Peroratio? Extrema pars orationis.

Quibus rebus constat Peroratio? Enumeratione, & affectibus.

Quid est Enumeratio? Potissimorum argumentorum breuiter & summam comprehendens, quæ Græcè ἀναλογισμός.

Quibus affectibus in hac parte utimur? Vehementibus illis, qui mouendis & impellendis animis adhibentur, quæ Græcè πάθος vocari diximus.

Quomodo hi affectus diuiduntur? Quod alij ad misericordiam spectant, Græcè οἰκτοί: alij ad indignationem, quæ Græcè δεινώσεις vocantur: quorum miseratio reo est necessaria, indignatio accusatori.

DE DISPOSITIONE.

Vid est Dispositio? Est apta partium orationis & locorum, seu argumentorum distributio.

Quotuplex est Dispositio? Duplex: altera

est partium orationis quas suprà sex esse diximus. quæ rursum duplex est: Una, quam ars ipsa & rerum natura adfert, ut primo loco sit exordium, inde narratio. Altera, quæ oratoris iudicio relinquitur. Incidunt enim nonnunquam causæ, in quibus prætermisso exordio à narratione, aut firma aliqua argumentatione incipiendum est. Vel ubi narratio exordio & confirmationi melius subiucitur. Non raro etiam confutatio confirmationem præcedit.

Alia est dispositio locorum & argumentorum, quorum in confirmationibus & confutationibus præcipuus usus est. Nonnihil tamen in exordiis erit observandum.

Quid observandum est in exordiis? Id totum ferè pendet ex varietate causarum, & oratoris iudicio. Nec facile præcipi potest unde exordia sumenda sunt, sed ex genere causæ exordiendi ratio petenda est: quare Antonius apud Ciceronem totius causæ natura perspecta, ultimo se loco de exordio cogitare ait.

Estne tamen aliqua hic collocandi ratio? Est. Ferè enim initio ponitur exordij propositio quam Græci πρότασις vocant. Hinc sequitur ὑπόθεσις, ratio propositionis, quæ duo Enthymema sed inuersum conficiunt. Deinde probatio alia aut amplificatio, aut aduersatiua. Græci ὑπεροχή sub- iungunt ἀπόδοσις, quæ est conclusio Enthymematis, quæ quum sensu eadem sit cum propositione, tamen verbis & figura orationis nonnihil variari debet. Ultimo loco est ἀξίωσις, seu petitio.

Quomodo disponuntur loci confirmationis? Nec id præceptis tradi potest. Antonius autem monet ut primo & no-

GEOR. CASSANDRI

uissimo loco, firmissima argumenta collocentur, mediocria verò in mediam turbam coniiciantur. Id quod & author ad Herennium præcipit.

DE ELOCUTIONE.

Vid est Elocutio? Est idoneorum verborum & sententiarum ad rem inuentam accommodatio, Græcè ῥῆσις dicitur.

Hæc est præcipua & maximè propria Rhetorices pars, quæ præceptis & arte multùm adiuuatur.

Quomodo diuidis Elocutionem? In sermonem grammaticum, hoc est, Latinum & planum, in figuras & in amplificationes.

Quomodo hæ tres species ad orationem accommodantur? Quia omnis oratio vel ad docendum tantùm instituta est, vel ad delectandum, vel ad concitandum. Hinc oriuntur tres figuræ, seu characteres & dicendi genera.

Quæ sunt hæc tria dicendi genera? Summissum, seu extenuatum, quod in orationibus Atticum dicitur, quo in familiari sermone & Philosophorum disputationibus utimur, cuius est finis docere: quare Latino ferè & dilucido sermone contentum est, & schemata parcius adhibet.

Medium seu mediocre, quod ad delectationem potissimum refertur, qualis erat olim oratio Sophistarum. Huic ornamenta & figuræ conueniunt.

Tertium est grande & sublime, cui rapere & inflam-

mare animos propositum est.

Ex his tribus generibus maximè spectatur eloquentia. Is enim, inquit Cic. eloquens est, qui humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè potest dicere. In Oratore.

Quomodo observatur sermo Grammaticus? Si curemus, ut Latina & perspicua sit oratio.

Quomodo id efficiemus? Primum, si vitemus vitia Latinitati & perspicuitati contraria. Deinde, si figuras observemus, quæ conseruant puritatem sermonis, aut lucem addunt.

Latinitati quæ vitia aduersantur? Barbarismus, qui est in verbis singulis, ut auisare: & Solæcismus, qui est in coniunctis, ut murmur multus.

Quæ perspicuitati? Cacophaton, homæologia, macrologia, pleonasmus.

Figuram quid vocas? Omne id, quo præter vulgare modum oratio quasi comitur & insignitur. Figura.

Quomodo figura diuiditur? In Tropos & Schemata, quæ propriè figuræ dicuntur.

Quotuplicem facis ordinem figurarum? Triplicem, ut cum superiore elocutionis diuisione conueniat.

Primus ordo ad Grammaticos pertinet, ut Tropi & cōformationes verborum.

Secundus continet figuras sententiarum, eas quibus ornatur oratio, quas supra figuras appellauimus.

Tertius propriè ad oratorem pertinet. Huc referuntur figuræ, quæ augent orationem, & ampliorem efficiunt.

Quid est Tropus? Quum vox à propria significatione ad

GEOR. CASSANDRI

rem similem aut vicinam conuertitur.

Quotuplex est Tropus? Omnis Tropus aut est in singulis verbis, aut est in tota oratione.

Da tropos prioris generis.

Translatio, μεταφορά. Ferreum pectus.

Transsumptio, μεταλήψις. Pallida mors.

Synecdoche, comprehensio seu intellectio. Mucro pro gladio.

μετωνυμία, denominatio, vt, Martem belli esse cōmunem.

ἄντωνομασία, pronominatio. Poëta pro Homero.

Catachresis, abusio. Parricida, pro eo qui propinquum occidit.

Onomatopœia, nominis fictio. Bombarba, Tarantara, Grunire.

Da tropos posterioris generis.

ἄλληγορία, Latinis inuersio. Quum aliud verbis, aliud sensu significamus. Ne obiicias margaritas porcis. Hec si vsu trita sit, ἥτοιμα dicitur. Laterem lauas.

Quæ sunt huius species?

Aenigma, allegoria obscurior. Dimidium plus toto.

Ironia, quæ contrarium verbis indicat. Verres homo sanctus & diligens.

Sarcasmos, hostilis irrisio. En agros, & quam bello Troiane petisti, Hesperiam metire iacens.

Mimesis, quum alterius gestum aut verba imitamur: apud Paulum: Ne attingite, ne gustate.

Huc referri possunt Apologi, vt AEsopi, & fabulae poetarum, quarum interpretatio μυθολογία dicitur. Annu-

merantur tropis periphrasis. Sallust. *Ad* requisita naturæ.
 Apud poëtas sæpe ornatus, nō necessitatis causa adhibetur,
 Tempus erat quo prima quies mortalibus agris Incipit.

Hyperbole, quæ cū ad augendum, tum minuendum
 refertur: -Geminique minantur In calum scopuli. -Vix
 ossibus hærent.

F I G U R A E V E R B O R U M.

*Q*uid est figura, seu schema? Est quasi gestus qui-
 dam orationis, in quo non est necesse mutare si-
 gnificationem vocum.

Quotuplex est schema? Duplex: λέξις, hoc est dictionis,
 seu verborum: & διαβολή, id est, sensus, vel sententiarum.

Quid interest inter has figuras? Quod verborum figura ^{3. de Oratore.}
 tollitur, si verba mutaris: sententiarum manet, quibuscun-
 que verbis utaris.

Quæ est figura dictionis? Est gestus quidam orationis,
 qui in verbis, seu in situ verborum consistit.

Quotuplex est huiusmodi schema? Duplex, Gramma-
 ticum & Rhetoricum.

Grammaticum voco, de quo Grammatici tradere con-
 sueverunt, quod apud illos in locutionis & constructionis di-
 uiditur.

Rhetoricum, de quo apud Rhetores agi solet.

Da figuras huiusmodi.

Repetitio, ἐπανάφορα. Nihil te nocturnum præsidium
 palatij, nihil urbis vigiliæ, nihil consensus bonorum om-

GEORG. CASSANDRI

nium, nihil horum ora vultusque mouerunt.

Conuersio, ἀντιστροφή. Pænos Populus Romanus iustitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit.

Complexio. Quis eos postulauit? Appius. Quis produxit? Appius.

Copulatio, σύνθεσις. Ad illum diem Mēmius erat Mēmius.

Translatio. Cicero pro Muræna, Sit denique in ciuitate ea prima res, propter quam ciuitas est omnium princeps.

Articulus, ἀσυνώθετον. Veni, vidi, vici.

πολυσύνθετον. - Athamásque Thoásque.

Similiter cadens, ὁμοιοπῆδες. Hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis.

Similiter desinens, ὁμοιοτέλευτοι. Turpiter audes facere, nequiter studes dicere.

Compar, ἰσομετρῶν, quum membra constant pari ferè numero syllabarum. In prælio pater mortem oppetebat, domi filius nuptias comparabat.

Hypallage. - Dare classibus austros.

Agnominatio, πῶνομασία. Incæptio est amentium, non amantium.

Ἀντιανάκλασις, superiori vicina. Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari.

Eclipsis. Egóne illam? quæ me? quæ non?

Reticentia seu præcisio, ἀρσιώπησις. Quos ego? sed motos præstat componere fluctus.

F I G V R A E S E N T E N -
T I A R V M.

I Nterrogatio, ἐρωτημα. *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?*

Subiectio, ἀποφασίς. *Quid igitur? peccabimus, quia non sumus sub lege? absit.*

Exclamatio, ἐκφώνησις. *O tempora, ô mores!*

Dubitatio, ἀρεμία. *Vtrum difficilius aut maius esset negare tibi saepius idem roganti, diu multumque Brute dubitavi.*

Παράδοξον, seu inopinatum. *Nunquam credidi fore Iudices, ut reo Scauro nequid in eius iudicio gratia valeret, precarer.*

Ἀδυνάτου. *Dici non potest, quantum me literæ tuæ delectauerint.*

Communicatio, ἀνακρίνωσις. *Cedo si vos eo loco essetis, quid faceretis aliud?*

Huic vicina est Commemoratio tacita opinionis iudicium, ut pro Milone: *Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis.*

Vicina est Permissio, quum quædam iudicibus, aut aduersariis æstimanda relinquimus.

Præteritio, πρᾶλησις. *Non dico te ab sociis pecunias accepisse.*

Auersio, ἀπετροπή. *Vos enim iã Albani tumuli atq; luci.*

Licentia, παρρησία. *Pro Sexto Roscio, Idcircone experrecta nobilitas armis atque ferro Rempublicam recuperavit, ut ad libidinem suam liberti, seruuliq; nobilium bona,*

GEORG. CASSANDRI
fortunas nostras, vestrasque vexare possent.

FIGURÆ AMPLIFI-
CATIONIS.

Quæ sunt amplificationis figuræ? Quæ non ad ornandum tantum orationem, sed augendam etiam adhibentur.

Vnde oriuntur hæ figuræ? Quum omnes figuræ sententiarum, tum eæ potissimum quæ orationem augment ex locis dialecticis oriuntur.

Quæ figuræ ex definitione nascuntur?

αἰξήσις. Debaçchari pro conuiciari. Pro errato scelus. Pro hortari inflammare. Pro stolido asinus. Tropi enim hic denominantur: τὰ πένωσις vel μείωσις, diminutio. Perstringere pro vulnerare, pro scelere erratum. Interpretatio, σιωπὴ. Cicero pro lege Manil. Et quoniam semper appetentes gloriæ atque auidi laudis fuistis. Expolitio, quæ eandem sententiam commutatis verbis explicat. Definitio, Non est fortitudo, sed temeritas, sine honesta ratione adire pericula.

Quæ ex diuisione?

Distributio, μῦθισμος. Cicero pro Archia, Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant.

διάλυσις, dissolutum, Iudices partim gratia, partim pecunia corrupti sunt. Congeries, συναθροισμός. Sallustius, Animus audax, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator &

disimulator. Incrementum. Cic. in Verr. Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Actione 7.

Quæ ex causis?

Ἀπολογία. Iure repetit Archias fructum meorum studiorum. Sequitur ἀπολογία, quia fuit mihi adiutor ad suscipiēda hæc studia. Διαλογία, ratio ab officio: Quamquam est amicus, tamen amicitie anteferenda est veritas.

Ἀναγκάων, necessitas. Hannibal apud Liviū: Illis timidis et ignavis esse licet, qui receptū habent: vobis necesse est fortibus viris esse, quibus ad effugium nihil est reliquum.

Μετόστασις, translatio. Quum causa transfertur in locum digniorem, aut magis profuturum dicenti, vt pro Marcello; Tueri vitam Cæsar debes, si non tua causa, at Reipublicæ.

Color, χρομα, probabilis facti ratio. Terēt. in Phormione, Postquam ad iudices ventum est, non potuit cogitata proloqui: ita eum tum timidum obstupescit pudor.

Calūnia, qua rectè dicta aut facta deprauātur: vt Pharisæi Christum communi more viuentem, vinipotorem vocabant. Gradatio, κλίμαξ. Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit.

Ex contrariis.

Contentio, ἀντιθέσις. Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes.

Commutatio, ἀντιμεταβολή. Cicer. de Legibus, Veréque dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Inuersio. Sepelisti, igitur occi-

GEORG. CASSANDRI

disti: imò si occidissē, non sepeliissē.

Communicatio, *ὑποκείμεσις*. Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.

Correctio, *ἐπιρροή*. Cicero pro Milone, Quas ille leges, si modò leges nominandæ sunt, ac non faces vrbis, & pestes Reip.

Reiectio, *ἀποδοχὴ*. Cicero pro Rabirio Posthumo, Quid ego senatum defendam hoc loco iudices?

Occupatio seu præsumptio, *παρατάληψις*. Pro Archia, Ac ne quis à nobis hoc ita dici miretur, quòd alia quædā in hoc facultas sit ingenij.

Concessio, *προμολογία*. Pro Cluentio, de invidia, Domine-
tur in concionibus, iaceat in iudiciis.

Huic vicina sunt apud Fabium, Confessio, pro Ligario, Habes igitur Tubero, quod est accusatori maximè optandum, confitentem reum.

Consensio. In Verr. Gaudeo etiam siquid ab eo abstulisti, & abs te nihil rectius esse factum dico.

πρὸς ἄλλοις, Distinctio apud Fabium, Veritas premitur, non opprimitur.

ἀντὶ τοῦ ποσὶ, oppositio seu obiectio, & *ἀντιστάσις*, Latine compensatio. Cic. Difficilis ratio belli gerēdi, at plena fidei, plena pietatis.

Ex similitudine.

Huc pertinet comparatio, quæ pars est Amplificationis longè potētissima. Nam quæ propriè similitudo dicitur, magis ad ornandum & illustrandum, quàm ad augendum & exaggerandum adhibetur. Latissimè autem hac figura

patet. Nam paria cum paribus, minora cum maioribus, maiora cum minoribus conferuntur. Pertinent etiam huc exempla, quæ item trium sunt generum. Adhæc apologi, parabola, imagines, prosopopæia, hoc est, personarum fictiones, & sermocinationes, quæ Græcè ὑποκρίσεις: quorū omnium exempla lōgum esset commemorare, & ubique obuiā sunt, & facile agnoscuntur.

A genere.

Sententia, γένημα, generale quoddam pronūtiatum de moribus, aut de vita communi. Nihil est tam popolare quā bonitas. Obsequium amicos, veritas odium parit.

Epiphonema, Acclamatio, Sentētia in fine alicuius probationis aut narrationis addita, amplificationis causa. Tāta molis erat Romanam condere gentem. Adeò à teneris assuescere multum est.

Noema, allusio est ad sententiam. Ovidius, - Fortisque viri tulit arma disertus.

Ex signis & circumstantiis.

Signa antecedentia sunt, consequentia, & adiuncta, quæ adhibentur ad amplificandum & extenuandum.

Dido apud Virgilium,

Num fletu ingemuit nostro, num lumina flexit?

Num lachrymas victus dedit, aut miseratus amantem est?

Ex circumstantiis nascitur ὑποτίπσις, Latine ab aliis subiectio, ab aliis descriptio. Sic describit Cicero Milonem pugnans cum Clodio.

Huc pertinet affectus, exclamationes, deprecationes, vo-

GEORG. CASSANDRI

ta, ominations, quorum exempla passim obuia sunt.

Transitio ad ordinem pertinet. Virgilius,

Haec tenus aruorum cultus, & sidera caeli,

Nunc te Bacche canam.

Parenthesis, interpositio vel interclusio. - Finē qui quæris amor (Cedit amor rebus) res age, tutus eris.

DE COMPOSITIONE.

F Iguras & ornamenta verborum atque sententiarum paucis indicauimus: sed quoniam ad elocutionem compositionis præcepta nonnulli adiungunt, eaque pars magnam habet utilitatem, pauca quædam huc pertinentia, ne quid huic compendio desit, subiicienda putauimus.

Quid est compositio? est apta verborum sententiarumque collocatio, ut lenis æquabilisque sit fluxus orationis, eiusque partes quasi vinculis quibusdam coërceantur, & extrema potissimum numeris & certis pedibus insigniantur.

Fabius lib. 4.
cap. 9.

Hæc compositio in omnine oratione seruanda est? Non. Duo enim sunt orationis genera: Soluta, & ab his vinculis libera, qua in sermone & epistolis utimur: & iuncta, siue cōtexta, quam Oratores potissimum, & reliqui etiā scriptores nonnunquam cum de grauib; dicendum est, consectantur. Compositionis huius quæ sunt partes? Duæ. Vna Grammatica, quæ à Grammaticis peti potest: altera Rhetorum magis propria.

Quæ est Grammatica compositio? Est apta verborum

constructio, quæ suauem orationis sonum conseruat. Quæ sunt huius præcepta? Primum vt vitetur vocalium concursus, vt Bacca enee amænissimæ impendebant. Deinde eorundem literarum, syllabarum, dictionum, vel in initio vel fine assiduitas & frequentia, vt, O Tite tute Tati tibi tâta tyrâne tulisti. Flêtes, plorantes, lachrymâtes. O fortunatam natam me Consule Romam. Nam cuius rationis ratio non extet, ei rationi ratio non est fidem habere. Tertiò vitanda sunt hyperbata, & perturbatus ordo verborû, vt, Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras.

Quæ est compositio Rhetorica? Est ea quæ vinculis quibusdam orationem connectit, & numeris extrema metitur.

Quibus igitur in rebus hæc compositio posita est? Duabus: Periodis & numeris.

Quid est Periodus? Oratio quæ plenam aliquam atque absolutam sententiam apta aliqua particula potissimum rationali aut causali, connexis inter se partibus, comprehendit, vt pro Aulo Cecinna, Si quantum in agris locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque iudiciis impudentia valeret, non minus in causa cederet A. Cecinna Sext. Ebutij impudentiæ, quàm in vi facienda cessit audaciæ.

Quot sunt Periodi partes? Cōmata, hoc est, Incisa: & Cola, quæ Latini membra vocant.

Quid est incisum? Orationis pars nōdum quicquam absolute significans. Et si vereor iudices, ne turpe sit.

Quid est membrum? Orationis pars absolute aliquid significans, sed iustam nondum periodum efficiens, vt, Et si

GEORG. CASSANDRI

vereor iudices, ne *turpe* sit pro fortissimo viro dicere, incipientem timere.

Sempérne *Periodis* utendum est? Non. *Periodi* enim in proæmiis potissimum, locis communibus, amplificationibus & epilogis locum habent. Vehementes autem affectus, & acriores pugna crebris incisus & membris efferuntur: tum narrationes aut membris conficiuntur, aut laxioribus *Periodis*.

Quid est *Numerus*? Certa quædam temporis in syllabis observatio, quæ in principiis & clausulis periodorum potissimum adhibetur.

Quid à metro seu versu differt? quod versus & certum habeat ordinem & finita spatia, à quo oratio abhorret vel maximè.

Qui numeri seu pedes in principiis adhibentur? Aristoteles pæana probat ex longa & tribus breuibus. Nullū igitur. Non habet eam vim. Cicero tamen frequenter à breuib. syllabis orditur, ut ab Iambo & Anapesto. Nouum crimè. Quid enim tuus. Animaduertite iudices. Etiā à longis in grauiori argumento. O clementiā singularem. & à Spōdæo, sequentibus tamen breuibus. Quanquam mihi semper. Etsi vereor. Si quātum in agris. à Cretico, Siquid est in me. Maximè vellem. Quod precatus. Hic autem Fabio authore initiis optimus est Pæan.

Qui pedes in fine probantur? Aristoteles pæana cōmendat ex tribus breuibus & longa. Temeritas: cui Cicero alios lōgè præponit, præfert enim omnibus Dichoreū, quo & ipse frequentissimè utitur, Comprobauit, Cōsecutus, Arbitran-

tur. Nec rarius breui syllaba sequentibus tribus longis seu ultima breui. Voluntatem, viderentur. Potestate, requirentis, retardarit. Denique Cic. hoc potissimum observat, ut longiores periodos polysyllaba dictione claudat, magisque verbo quam nomine: & ex nominibus adiectiuo potius quam substantiuo, aut certè ut altera ex postremis dictionibus polysyllaba sit. Deinde ut hic finis cõstet ex mixtura longarum syllabarum, dominantibus ferè longis administrandũ. Considerate, Deferebatur, Dimicaretis, More dicendi, Luce versari, aut aequali temperatura longarum & breuium, esse videatur. ex eo genere est Dochimus quinque syllabarum, qui quouis loco, ut inquit Cicero, aptus est. Amicos tenes. Occurrit hic apud Ciceronem in fine nonnunquam, sic ut prima pedis syllaba ultima sit praecedentis dictionis quam longa praecedat, Consilioque deducitur, natura desiderat, sententiaeque cognosceret. Rarius autem fit ut dominantur breues. Deesse potest, prohibuerunt.

FINIS.

EXCVDEBAT THOMAS
RICHARDVS 1552.

